

# **Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum**

**Simonnet, Edmond**

**Venetiis, 1731**

Disputatio IV. De mente & doctrina S. Augustini circa liberum arbitrium  
hominis in statu naturæ lapsæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

multa adhuc possunt velle vel non velle, & ex multis hoc vel illud velle, imò & aspirante divina gratia, mandata divina liberè servare, tentationes liberè vincere, & Deo illos ad vitam gratiæ revocanti, liberè cooperari, quia ad hanc liberam cooperationem sufficit vita naturæ cum adiutorio interioris gratiæ.

*Obj. 7.* Conc. Araus. 2. can. 13. ubi sic ait: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi.* Et Can. 22. ubi dicit, *neminem habere de suo, nisi mendacium & peccatum.* R. ad 1. Concilium loqui de libero arbitrio, non præcisè ut est facultas naturalis, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis, potest agere vel non agere; sed ut est potentia instructa iis omnibus, quæ connaturaliter necessaria sunt ad operandum supernaturaliter, & sicut oportet ad salutem, & quæ primum restituntur nobis in prima justificatione, quæ fit per baptismum vel in re vel saltem in voto susceptum, Deo infundente gratiam sanctificantem, & conferente alia dona seu alios habitus supernaturales, cum iure ad actuales gratias, pro loco, & tempore accipiendas, & ad agendam vitam christianam necessarias.

R. ad 2. juxta mentem Concilii, hominem, quantum ad æternam salutem attinet, non habere de suo, nisi mendacium & peccatum, hoc est, non posse de suo, nisi demereri; quia sine adiutorio gratiæ divinæ nihil potest operari, quod sit ex omni parte bonum, & aliquo modo ad salutem consequendam conferre possit. Unde si homo solis naturæ viribus relinqueretur, non aliud potest in ordine ad salutem, quam peccare, & ita non aliud potest in ordine ad salutem, quam demereri. Hoc autem damnat quidem Semipelagianos, qui adittebant quædam salutis initia, ex solis naturæ viribus profecta: at ne leviter quidem perstringit libertatem indifferentiæ, quam homini lapsi attribuimus circa bonum & malum, sic ut nolumus eam ad bonum faciendum, vel malum vitandum salutariter, valere posse sine adiutorio gratiæ interioris, voluntatem prevenientis, excitantis & corroborantis.

## DISPUTATIO IV.

De mente & doctrina S. Augustini circa liberum arbitrium hominis in statu naturæ lapsæ.

### ARTICULUS I.

Utrum S. Augustinus docuerit in homine, etiam post Adami peccatum, manere liberum arbitrium.

#### RESPONSIO.

S. Augustinus docuit in homine, etiam post lapsum Adami, liberum arbitrium existere. Est contra Lutherum & Calvinum, qui gloriantur se duces habere S. Augustinum in negando hominis lapsi libero arbitrio.

*Prob. 1.* Nam 1. S. Doctor sic loquitur in lib. de quantitate animæ c. 36. *Datum est animæ liberum arbitrium, quod qui nugatoriis ratiocinationibus labefactare conantur, usque adeo cæci sunt, ut ne ipsa quidem vana atque sacrilega propria voluntate se dicere intelligant.* 2. In lib. de vera religione c. 14. sic ait: *Quoniam peccari non dubium est, ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium.* 3. Lib. 2. Actorum cum Felice Manichæo c. 3. his verbis hæreticum illum urget: *Esse liberum arbitrium, & inde peccare quemque si velit, non peccare si nolit, non solum in divinis Scripturis, quas non intelligis, sed etiam in verbis ipsius Manichæi tibi probō.* 4. Tres libros pro libero arbitrio contra Manichæos scripsit, in quorum secundo cap. 1. hæc habet: *Illud bonum, quo commendatur ipsa iustitia in damnandis peccatis, reliquæ factis honorandis, quomodo esset, si*

*homo careret libero voluntatis arbitrio?* 5. Exorta jam dudum Pelagiana hæresis, liberum de gratia & lib. arb. scripsit contra Monachos quosdam Aduamentini Monasterii, qui, ut gratiam Dei assererent, liberum arbitrium negabant. *Quoniam, inquit S. Doctor cap. 1. sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere ad vestram charitatem, Valentine frater. & ceteri, qui simul Deo servis, compellente mutua charitate, curavi.* In hoc autem libro apertè & simpliciter conficitur liberum arbitrium c. 2. ubi dicit: *Revelavit (Deus) per Scripturas suas sanctas esse in homine liberum voluntatis arbitrium.* Quod deinde eod. cap. ex professo probat, allegando ea Scripturæ loca, quibus continentur præcepta divina, & ea, quibus continentur admonitiones & adhortationes: tum ita ratiocinatur: *Ubi dicitur: Noli hoc, & noli illud; & ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium.* Vide etiam lib. 2. de nuptiis c. 3. lib. 4. contra Julianum c. 8. & lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 2.

*Obj. S. Augustinus in Enchiridio c. 30. docet expressè liberum hominis arbitrium per Adami peccatum prorsus extinctum fuisse, Libero, inquit, arbitrio male utens homo, & se perdidit & ipsum ... cum libero peccaretur arbitrio victore peccato, amissum est & liberum arbitrium.* Ergo, &c. R. negando ant. Itaque juxta mentem S. Doctoris, primus homo peccando perdidit liberum arbitrium, non illud penitus extinguendo, sed deterius efficiendo; sicut pater filium, aut dominus servum perdere dicitur, ut rectè observat Bellarminus noster, quando cum nimia sua facilitate flagitiosum fieri sinit. Patet ex ipso textu citato: nam S. Doctor dicit, quod homo se ipsum perdidit & liberum arbitrium; quo modo loquendi apertè significat hominem non aliter perdidisse liberum arbitrium quam se ipsum perdidit. Sed primus homo per peccatum se perdidit, non perimendo, sed deterius efficiendo: per peccatum se perdidit, non quantum ab substantiam, sed quantum ad dona accidentalitatem, quibus in creatione exornatus fuerat à conditore. Ergo similiter perdidit liberum arbitrium, non illud perimendo & penitus extinguendo, sed infirmando & vulnerando: perdidit, non quantum ad substantiam, sed quantum ad singulares illas prerogativas, quibus præfulgebat in statu innocentie. Primus itaque homo, juxta S. Augustinum, peccando perdidit liberum arbitrium, non quantum ad facultatem agendi vel non agendi, positis omnibus ad agendum prærequisitis, sed quantum ad multa privilegia, naturæ superaddita, quibus poriebat, antequam peccaret, & peccando spoliaretur iustitia originali, & dono integritatis. Quod ut plenius intelligas, & mentem S. Doctoris assequaris,

*Observ. 1.* Primus homo peccando amisit liberum arbitrium, quantum ad facultatem carenti omni peccato, & necessitate moriendi. Primus homo ita à Deo conditus est, ut posset, si vellet, vitare omnia peccata, non solum mortalia, sed etiam venialia, non solum distributivè, sed etiam collectivè sumpta; item posset, si vellet, numquam mori: at postquam præceptum de non comedendo certo fructu transgressus est, jam non potest, etiam post acceptam justificationis gratiam, vitare longo aliquo tempore sine speciali privilegio totam collectionem peccatorum saltem venialium, atque insuper necessitati moriendi subiacet. Hoc dicit S. Doctor lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 2. *Quis nostrum dicat, inquit, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem perierit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam.*

2. Quod eodem ferè redit, primus homo peccando amisit liberum arbitrium, quantum ad facultatem carenti omni ignorantia, motibus inordinatis con-

concupiscentia, & omni difficultate in bono faciendo, & malo virando. Primus homo ante peccatum poterat, si vellet, in iis, quæ ad bonum faciendum & malum virandum pertinent, nihil ignorare. Item ita in potestate sua habebat omnes actus potentiarum suarum, ut nullum, nisi vellet, motum inordinatum experiri posset. Item poterat sine difficultate vincere tentationes omnes, etiam collectivè sumptas, omniaque omnino præcepta, etiam collectivè sumpta, sine difficultate adimplere. At post ejus peccatum multa ignoramus, etiam inviti. Item inordinatos concupiscentia motus sæpè experimus, quantumvis nolumus, Item multas & graves difficultates patimur in vincendis tentationibus, & implendis mandatis divinis, nec omnia collectivè sumpta servare possumus longo saltem tempore, sine speciali privilegio. Hoc dicit S. Doctor Lib. 3. de lib. arb. c. 18. *Nec mirandum est, inquit, quod vel ignorando non habeat (homo) arbitrium voluntatis liberum ad eligendum quid rectè faciat, vel resistente carnali consuetudine ... videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implere. Illa est enim peccati poena iustissima, ut amittat unusquisque, quo bene uti nolit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet: id est autem, ut qui sciens rectè non facit, amittat scire quid rectum sit, & qui rectè facere cum posset, nolit, amittat posse, cum velit ... Cum autem de libera voluntate rectè faciendi loquimur, de illa scilicet, in qua homo factus est, loquimur. Hoc est, cum dicimus per peccatum amissam esse liberam voluntatem rectè faciendi, intelligimus voluntatem liberam rectè faciendi, quam habuit homo innocens, & consequenter voluntatem rectè faciendi liberam ab ignorantia & difficultate, quæ potissimum oritur ex inordinatis concupiscentia motibus; nec aliud volumus, quam voluntatem rectè agendi, seu liberum arbitrium per peccatum periisse, quantum ad immunitatem ab ignorantia & difficultate, quæ ex concupiscentia rebellionem oritur, ac proinde quantum ad facultatem rectè faciendi, omnia omnino præcepta etiam collectivè servando.*

3. Primus homo per peccatum amisit liberum arbitrium quantum ad facultatem completam operandi bonum, scilicet sicut oportet ad salutem; operandi, inquam, independentem ab actuali adjuutorio excitante & corroborante. Primus homo, quandiu fuit in statu innocentie, propter donum integritatis habuit liberum arbitrium sanum & robustum, ita ut ad bonum operandum salutariter, tunc sufficerent illi habitus infusi cum supernaturali cognitione boni faciendi & mali vitandi. At postquam dono integritatis propter peccatum spoliatus, & rebellionem concupiscentia peiorius factus est, ita propter concupiscentia pondus voluntas ejus propendit in bona sensibilia, & fastidit quod honestum est & salutare, ut nullatenus jam possit ullum bonum salutare operari, nisi per actuale gratiam, ipsam immediate efficientem, torpens excitetur, agrotata sanetur, infirma corroboretur, captiva liberetur. Hoc dicit S. Doctor passim in suis contra Pelagianos libris, & in Enchiridio c. 30. quod nobis opponitur à novatoribus; ubi probat hominem lapsum non posse solis suis viribus à peccato resurgere, sed ad id indigere liberatore, à quo gratis justificetur, & ad exercenda bona opera liberum ejus arbitrium, depravatum & viribus attenuatum, interioris gratia excitantis ac corroborantis auxilio redimatur. *Hæc pars, inquit, generis humani, cui liberationem Deus regnumque promisit æternum, nunquid meritis operum suorum reparari potest? Absit. Quid enim boni operari potest perditus, nisi quantum fuerit à perditione liberatus? Nunquid libero voluntatis arbitrio? Et hoc absit. Nam libero arbitrio male utens homo, & se perdidit & ipsum ... Unde ad iuste faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, esse iustitia caperit servus. Ipsa est vera libertas propter recti facti licentiam, simul & pia servitus propter præcepti obedientiam. Sed ista libertas ad benefaciendum unde erit homini addito & vendito, nisi redimat ille, cujus illa vox est: Si vos Filius liberaverit, tunc*

*verè liberi eritis? Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quisquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum liber est ad operandum bene, nisi se vana superbia inflatus extollat? Itaque juxta S. Doctorem, homo peccando se perdidit, & liberum arbitrium, quia jam non potest ullum, sicut oportet, ad salutem bonum operari, nisi per interiorum Christi liberatoris gratiam gratis praveniatur, & per hanc gratiam, quæ est potissimum inspirationis gratia, redimatur à captivitate peccati & concupiscentia, cui servit quamvis lubens ac volens, & sine antecedenti necessitate serviendi; unde homo lapsus numquam nisi gratis justificatur, quia numquam ad justificationem sese disponit & præparat, nisi deperter ab interiore inspirationis gratia ipsum gratis praveniente & excitante ac corroborante, atque excitando & corroborando liberante à servitute concupiscentia, seu quod idem est, ab aegritudine & infirmitate per peccatum contracta.*

## ARTICULUS II.

*Utrum S. Augustinus per liberum arbitrium intellexerit solam libertatem à coactione, an etiam libertatem à simplici necessitate.*

## RESPONSIO.

**S**ANCTUS Augustinus nomine liberi arbitrii intelligit libertatem à simplici necessitate, non verò solam libertatem à coactione, etiam cum agit de libero arbitrio hominis lapsi.

Est contra Jansenium, qui asserit S. Augustinum per liberum arbitrium hominis lapsi solam libertatem à coactione intellexisse, & libertatem à simplici necessitate seu indifferentia, esse caput, vel, ut ipse loquitur, nidum hæresis Pelagianæ. In quo sequitur Calvinum & Synodum Dordrechtanam, à quibus Pelagio adnumerantur ii, qui libertatem indifferentia homini lapsi attribuunt.

*Prob. Resp. S. Augustinus convenit cum Pelagianis in notione liberi arbitrii, quale nunc habemus. Atqui per liberum arbitrium, quale nunc habemus, intellexere Pelagiani libertatem indifferentia. Ergo S. Augustinus libertatem indifferentia intellexit per liberum arbitrium, quale nunc habemus. Minor constat ex S. Augustino, qui lib. 2. de peccat. meritis & remiss. c. 18. dicit liberum arbitrium, quale nunc habemus, ejusmodi esse ex Pelagii sententia, quod huc atque illuc liberum flectitur. Constat etiam ex ipsis adversariis, qui docent hanc liberi arbitrii notionem esse Pelagianum errorem, imò totius Pelagianæ hæresis fontem, eamque ex prophana philosophia, & officina Aristotelica depromptam esse dicunt post Calvinum, & alios novatores.*

Tota ergo difficultas est in Majore, quæ probatur ex lib. 2. de nuptiis & concup. c. 3. ubi Juliano expostulanti, quod Catholici negarent liberum hominis arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem, & quod, si quis assereret, statim Celestianus & Pelagianus vocaretur, respondet S. Doctor in hunc modum: *Non est ita, ut loqueris; multum falleris, vel fallere meditaris. Non liberum negamus arbitrium: sed si vos Filius liberaverit, ait veritas, tunc verè liberi eritis. Hunc vos invidetis liberatorem, quibus captivis vanam tribuitis libertatem ... Non itaque sicut te atque alios fallens loqueris, si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Celestianus & Pelagianus vocatur, ista quippe Catholica fides dicit. Sed si quis ad colendum rectè Deum, sine ipsius adjutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium, & quisquis ita dicit Deum nascentium conditorem, ut parvulorum neget à potestate diaboli redemptorem, ipse Celestianus & Pelagianus vocatur. Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, & Deum esse nascentium conditorem, utrique dicimus, non hinc estis Celestiani & Pelagiani. Liberum autem quæquam esse ad agen-*

agendum bonum sine adiutorio Dei, & non erui à potestate tenebrarum, & sic transferri in regnum Dei, hoc vos dicitis, hinc estis Celestiani & Pelagiani. Quid obediatis, ad fallendum, communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen?

Julianus itaque cum suis Pelagianus & Celestianus vocabatur, hoc est, hæreticus à Catholicis censebatur, teste Augustino, non quia liberum arbitrium in homine, qualis nunc est, admittebat, aut huius liberi arbitrii rationem in libertate indifferentiæ constituerebat; sed quia hoc liberum arbitrium, seu hanc libertatem indifferentiæ, quam cum Catholicis attribuebat homini, contendebat valere ad agendum bonum sine adiutorio Dei, ipsam per interiorem inspirationis gratiam preparantis, excitantis & corroborantis. Hoc erat proprium Juliani & aliorum Pelagianorum crimen, quod ut operirent, & hominibus suum facerent, ostendebant tegmen dogmatis, quod erat illis commune cum Catholicis. Non potuit autem dogma liberi arbitrii illis commune esse cum Catholicis, nisi idem nomine liberi arbitrii, quod Catholicis intellexerint: non enim in vocibus, sed in rebus per voces significatis dogmata consistunt. Lucet igitur meridiana clarius est Augustinum, ipso Augustino teste, in notione liberi arbitrii cum Pelagianis consensisse, & consequenter Augustinum nomine liberi arbitrii, quod agnovit in homine lapsio, libertatem indifferentiæ intellexisse.

Certe si Julianus expositulans à Catholicis negari liberum hominis arbitrium, & Celestianos ac Pelagianos vocari eos, qui illud admitterent, aliud nomine liberi arbitrii intellexisset, quam esset intelligendum, & quam Augustinus cum aliis Catholicis intellexeret, ambiguitatem vocis tollere, & hæretici fraudem de regere debuisset Augustinus, putà in hunc modum: Falleris, vel fallere meditaris. Non negamus liberum hominis arbitrium, sed solum nolumus illud in libertate indifferentiæ consistere. Non, si quis liberum in hominibus esse arbitrium dixerit, Celestianus & Pelagianus vocatur; sed si quis dixerit illud immune esse à simplici necessitate, is Celestianus & Pelagianus vocatur. Liberi arbitrii nomen utrique dicimus, non hinc estis Celestiani & Pelagiani. Liberum autem arbitrium, quale nunc est, situm esse in libertate indifferentiæ, non in sola libertate à coactione, hoc vos dicitis, hinc estis Celestiani & Pelagiani. Quid obediatis communis nominis tegmen, ut operias proprium crimen? Hæc, inquam, vel æquivalentia, respondere debuisset, & proculdubio respondisset strenuus ac diligens Pelagianæ pravitatis indagator & insectator, si notio libertatis, quam propugnabant Pelagiani, erat, ut volunt adversarii, hæreticum dogma, imò & Pelagianæ hæresis nidus: neque prudenter Augustinus dixisset simpliciter: *Liberum arbitrium utrique dicimus, non hinc estis Celestiani & Pelagiani*; aut dogma liberi arbitrii verè vocasset dogma commune Catholicis & Pelagianis: cum dogmata, ut jam dictum est, non in vocibus consistant, sed in rebus, quæ vocibus exprimuntur.

Hinc quamvis Pelagiani, Catholicorum argumentis oppressi, gratiam confiterentur, nunquam tamen Augustinus dicit: Gratiam utrique dicimus, non hinc estis Celestiani & Pelagiani: nunquam vocat gratiam dogma commune Catholicis & Pelagianis: sed cum veretur, ne gratiæ nomine aliud intelligant, quam intelligendum sit, diligenter querit, quam intelligant gratiam; & detecta fraude, quid per gratiam velint, accuratè exponit, eosque in sola voce cum Catholicis convenire, nec eam, quæ in sacris Scripturis exprimitur, Christi gratiam confiteri ostendit. Quis autem dubitare potest Augustinum, quod de gratia, idem de libero arbitrio facturum fuisse, si vel leviter suspicatus esset, Pelagianos non rectè sentire circa notionem liberi arbitrii, & nomine liberi arbitrii aliam intelligere libertatem, quam pateretur fides Catholica, & Catholicis intelligerent? Ex quo

*Confirm. allata probatio.* S. Doctor lib. de grat. Christi cap. 31. recitatis his Pelagii verbis ex ejus ad

Innocentium epist. Ecce ad beatitudinem tuam epistola ista me purget, in qua parè atque simpliciter ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus bonis operibus divino semper adiuvatur auxilio; sic prolequitur: Cernitis itaque pro intellectu, quem vobis Dominus dedit, hæc ejus verba solvenda non sufficere questionis: quarimus enim adhuc, quo auxilio liberum adjuvari dicat arbitrium, ne forte, sicut solet, velit intelligi legem atque doctrinam. Et eod. lib. c. 33. in hæc verba professionis, quam idem Pelagius ad Innocentium miserat, *Liberum sic confitemur esse arbitrium, ut dicamus nos semper indigere Dei auxilio*; sic ait: Ecce iterum quarimus, quo auxilio nos indigere fateatur: & iterum invenimus ambiguum, quoniam potest respondere, legem se dicere doctrinamve Christianam, qua naturalis illa possibilitas adjuvetur.

Vides S. Doctorem sollicitum esse, non quid nomine liberi arbitrii intelligat Pelagius, sed quid intelligat nomine gratiæ. At si alicubi inquirere debuit S. Doctor de mente Pelagii circa liberum arbitrium, certè iis locis, in quibus Pelagius suæ fidei & doctrinæ rationem reddebat summo Pontifici: neque minoris momenti res erat, investigare, quam libertatem confiteretur, quam quod confiteretur gratiæ adiutorium, posito quòd fides ejus tam circa libertatem humanam, quam circa gratiam merito suspecta foret. Cum ergo S. Augustinus ne levissimam quidem delibero arbitrio controversiam moveat, sed totus sit in quaerendo quam gratiam intelligat Pelagius, & in ostendenda hujus vocis ambiguitate, & probanda in hac parte professionis Pelagii insufficientia, manifestum indicium est S. Augustino penitus exploratam fuisse Pelagii orthodoxiam circa liberi arbitrii notionem, ipsumque liberi arbitrii notionem constituendo in libertate indifferentiæ, non aliter sensisse, quam esset sentiendum, & quam sentiret Augustinus cum cæteris Catholicis. Quod adhuc

*Confirm.* Quia iis in locis, in quibus S. Doctor errores Pelagianorum circa libertatem arbitrii enumerat, ut lib. 1. retract. c. 9. epist. 107. lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. ult. lib. de hæc. c. 88. semper quidem dicit eos nimium tribuere libero arbitrio, at nunquam insinuat eos, quòd liberum hominis arbitrium definiant per libertatem indifferentiæ. Unde vel falsissimum est, quod ait Janenius, Pelagianos errasse, liberum hominis arbitrium per indifferentiam activam & libertatem indifferentiæ definiendo; imò hunc fuisse illorum errorem præcipuum, & totius Pelagianæ pravitatis nidus; vel necesse est Augustinum stupitem fuisse, qui non adverterit, aut saltem negligentissimum, qui sciens prætermiserit præcipuum errorem adversariorum, & totius eorum pravitatis nidum reliquerit intactum. Quorum neutrum cogitare fas est de tanto Doctore, & tam strenuo Pelagianæ hæresis indagatore & impugnatore.

Attamen, inquit, Pelagius cum suis erravit circa libertatem arbitrii, R. dist. Erravit docendo illam consistere in activa indifferentia, hoc est, in facultate agendi vel non agendi, hoc vel illud agendi, N. Docendo illam ad bonum agendum & malum vitandum, etiam sicut oportet ad salutem, sufficere sine interiore inspirationis gratia, qua, nullis suis præcedentibus meritis, præparetur, excitetur, & roboretur, C. Unde primum nunquam; secundum verò passim in Pelagio & suis reprehendit S. Doctor. Imò primum in Pelagianis apertè commendat lib. 2. de nuptiis & concupisc. c. 3. verbis supra relatis.

*Confirm.* 3. allata prob. ex lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 2. ubi hæc Juliani objectionem refert S. Augustinus: *Dicunt illi Manichei (sic Catholicos vocat Julianus) quia primi hominis peccato, id est, Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo jam potestatem habeat bene vivendi; sed omnes in peccatum carnis suæ necessitate coguntur.* Certè si nomine liberi arbitrii abutebatur Julianus, si per liberum arbitrium aliud Pelagiani, aliud Catholici intelligebant, debuit hic, aut nunquam, S. Doctor ambiguitatem vocis tollere, & hære-

hæreticorum fraudem detegere, atque distinctè exponere, in quo sensu Catholici negarent liberum arbitrium, in quo assererent, & à Pelagianis dissentirent. At nihil horum facit, sed solum respondet, 1. Julianum imitari Jovinianum, dum Catholicos vocat Manichæos. 2. Pelagianos errare nimium extollendo vires liberi arbitrii. *Liberum*, inquit, *arbitrium defendendo præcipiant*, ut de illo potius ad faciendum justitiam, quam de Domini adjutorio confidatur, atque ut in se quisque, non in Domino, gloriatur. 3. Neminem Catholicorum dicere, liberum hominis arbitrium per Adæ peccatum periisse.

4. Per peccatum illud interiisse tantum libertatem illam, quam habuit homo in statu innocentie, cumulatissime completam & instructam donis omnibus necessariis ad habendam, si vellet, plenam cum immortalitate justitiam, hoc est, potentiam proximè completam, & expeditam ad bonum agendum, & cavendum omni peccato & miseria: *Quis*, inquit, *nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* *Libertas quidem perierit peccatum, sed illa, que in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam.* Unde infert S. Doctor hominem in præfenti statu ad sanctè pieque videndum indigere gratia Christi salvatoris. Sic enim prosequitur: *Propter quod natura humana divina indiget gratia, dicente Domino: Si vos Filii liberaverit, tunc verè liberi eritis, utique liberi ad bene justèque vivendum.* Et postquam multa in hanc rem disseruit, partim hoc capite, partim sequenti, sic concludit: *Nemo igitur potest habere voluntatem justam, nisi, nullis præcedentibus meritis, acceperit veram, hoc est, gratiam desuper gratiam.* Tum statim pergit in hunc modum c. 4. *Hoc isti nolunt elari & superbi, nec purgando defensores, sed extollendo præcipitatores liberi arbitrii, qui non ob aliud nobis hæc dicentibus indignantur, nisi quia gloriari in Domino dedignantur.*

Ex his autem evidenter apparet S. Augustinum, cum cæteris Catholicis, in homine lapso agnovisse libertatem indifferentiæ, neque in hoc puncto à Pelagianis dissensisse, sed in eo tantum quod nollet libertatem illam post Adami peccatum valere ad bene justèque vivendum sine adjutorio interioris gratiæ, voluntatem sanantis, excitantis & corroborantis. Unde Pelagiani ansam sumebant Catholicos calumniandi, eoique criminandi, tanquam liberum arbitrium everterent, & fatalem peccandi necessitatem inducerent. Perinde enim est ac si Juliano calumnianti responderet Augustinus: *Nemo nostrum dicit, per Adæ peccatum periisse facultatem agendi vel non agendi, postis omnibus ad agendum prærequisitis, & in ejus locum successisse fatalem peccandi necessitatem; sed solum dicimus omnes, hominem per peccatum amisisse sanam illam & robustam rectè agendi potentiam, quam habuit in paradiso, proindeque liberum hominis arbitrium per peccatum vulneratum, & viribus atrenuatum esse, sic ut ad faciendam justitiam nunc indigeat divina gratia, qua non indigebat ante peccatum, propter donum integritatis.* Hoc negant elari ac superbi Pelagiani, & liberum arbitrium, quale nunc habemus, se solo sine interioris gratiæ adjutorio ad bonum agendum sufficere contendunt, & ita illud, vires ejus nimium extollendo, præcipitant, non defendunt, dum de illo volunt potius quam de gratiæ auxilio confidi, & ita unumquemque in se, non in Domino, gloriari. Nos verò, quia naturam humanam dicimus ad faciendam justitiam divina indigere gratia, & sine illa neminem habere posse voluntatem justam, sique, non in nobis, sed in Domino gloriamur, quod velimus & operemur bonum, traducunt velut Manichæos, & humanæ, superinducta peccandi necessitate, libertatis evertores; nobis scilicet indignantes, quia in Domino gloriari dedignantur, interiori inspirationis gratiam ad opera quævis salutaria necessariam esse, ingenuè confitendo.

Hæc autem adhuc ampliùs declarari & confirmari

possunt ex eo, quod eodem loco, hoc est, cap. 2. citato, expressè doceat hominem esse liberi arbitrii, quia sine ulla antecedenti ad peccandum necessitate, & ex propria determinatione atque electione peccat, quando peccat, sicut absque antecedenti ad bonum agendum necessitate bene agit, quando bene agit: *Liberum arbitrium*, inquit, *usque adeo in peccatore non perit, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis lubet* (id est, quod ex propria determinatione & electione præ alio volunt: nam hæc voces, *placet, lubet*, non sunt synonymæ; alioqui nugatoria est propositio S. Doctoris.) *Unde & Apostolus, Cum essetis, inquit, servi peccati, liberi fuistis justitiæ; ecce ostenduntur etiam peccato minime potuisse, nisi alia libertate, servire. Liberi ergo à justitiâ non sunt, nisi arbitrio voluntatis: liberi autem à peccato non fiunt, nisi gratia Salvatoris.* Igitur juxta S. Augustinum, usque adeo liberum arbitrium non perit in nobis per peccatum Adæ, ut si bonum siue malum velimus & agamus, illud velimus & agamus ex propria determinatione & electione, cum hoc tantum discrimine, quod ad volendum & agendum malum, vires arbitrii sufficiant; ad bonum verò volendum & operandum, præter vires arbitrii, quales nunc habemus, interior salvatoris gratia, qua voluntas sanetur, excitetur, & corroboretur, necessaria sit. Nulla igitur superfuisset controversia de libero arbitrio Augustinum inter & Pelagianos, si verè gratiæ, hoc est, inspirationis internæ ad opera quævis salutaria necessitatem confessi fuissent.

*Prob. Resp. 2.* Ex locis in quibus S. Augustinus positivè significat se per liberum arbitrium intellexisse libertatem indifferentiæ. 1. Itaque lib. de nat. & grat. c. 65. postquam recitavit hæc Hieronymi verba, *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas, nec corona est;* quibus aperte significatur liberum arbitrium esse facultatem immunem à simplici necessitate; hæc subjicit Augustinus: *Quis non agnoscat: quis non toto corde suscipiat: quis aliter conditam humanam neget esse naturam?* Agnoscit igitur libentissimè S. Doctor, & toto corde suscipit hanc veritatem, quod homo, etiam in præfenti statu, liberum habeat arbitrium, & quia liberum arbitrium habet, nulla necessitate siue in virtutes siue in vitia feratur: cum immunitas ab omni necessitate antecedenti & intrinseca sit de ratione liberi arbitrii, quod scilicet est facultas agendi vel non agendi, agendi hoc vel illud pro arbitrio. Agnoscit igitur libentissimè S. Doctor, & toto corde suscipit hanc veritatem, quod sola libertas à coactione seu violenta necessitate, non sufficiat ad rationem liberi arbitrii.

2. Lib. de gratia Christi cap. 47. sic de concordia gratiæ cum libero arbitrio loquitur Augustinus: *Ista questio, ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Unde sic argumentor. S. Augustinus constituit liberum arbitrium in ea libertate, quam non nisi difficilimè cum gratia efficaci conciliari posse judicavit. At id de libertate à coactione judicare non potuit tantus Doctor: ad conciliandam enim solam libertatem à coactione cum gratia efficaci, requiritur & sufficit, ut voluntas possit simul necessariò & sponte velle. Quod autem voluntas possit simul necessariò & sponte velle, ita planum & per se clarum est, ut à nemine, terminos apprehendente, possit in dubium revocari, aut non statim intelligi. Et verò quis non facile & statim intelligit, hominem simul necessariò & sponte velle beatitudinem? bruta simul necessariò & sponte appetere, quidquid appetunt? beatos in cælo simul necessariò & sponte amare summum bonum, clarè visum?

Præterea, secundum adversarios, S. Augustinus constituit gratiam in delectatione ineliberata. At in mentem



libero arbitrio, etiam quale nunc habemus. At certe non omne vinculum necessitatis removeret à libero arbitrio, qui ab illo removeret tantum necessitatem violentam, aut etiam cum necessitate violenta solam necessitatem voluntariam immutabilem. Ergo manifestum est S. Augustinum à libero arbitrio, etiam quale nunc habemus, remove non solum necessitatem violentam, sed etiam voluntariam, tam mutabilem, quam immutabilem, nimirum ut actus nostros habeamus in potestate nostra, & sicut eorum domini, atque ita possimus pro arbitrio bene vel male vivere, & absque quavis antecedenti necessitate intrinseca bene vel male vivendi, sicque bene vivendo mereri, male autem vivendo demereri, iustique puniri à Deo.

## ARTICULUS III.

*Solvuntur objectiones.*

**O**bj. 1. S. Augustinus libertatem proprie dictam opponit servituti & captivo. Item opponit dominationi. Item exponit illam per non esse in potestate demonis, & per esse inalligatum & inimpeditum. Nunquam autem illam consistere docet in immunitate à simplici necessitate. *Ad solutionem nota.* Triplex communiter distinguitur libertas à Doctoribus catholicis, libertas scilicet à servitute, à coactione, & à simplici necessitate. Libertas autem à servitute subdividitur in libertatem à servitute subjectionis sub dominio alterius, libertatem à servitute peccati, & libertatem à servitute aliarum miseriarum, sive corporalium, sive spiritualium. Hæc libertas vocatur libertas liberationis, quia consistit in eo, quod quis liberetur à subjectione, vel à peccato, vel ab aliis miseriis sive corporalibus sive spiritualibus.

Libertas à coactione vocatur libertas spontaneitatis, quia consistit in eo, quod quis sponte agat, vel pariat, & non coacte. Duplex autem est coactio, una totalis, & dicitur coactio simpliciter; altera non totalis & imperfecta tantum, & dicitur coactio secundum quid. Prima est, cum aliquid sit, passio nihil conferente, sed quantum potest retinente, ut cum aliquis, omnino invitatus, & quantum potest reluctans, ligatur. Altera est, cum aliquid facimus, vel patimur, partim nolentes, partim volentes, ut cum mercator metu naufragii merces suas projicit in mare. Primam pati non potest voluntas, quantum ad actus elicitos, quia repugnat voluntatem velle aut nolle aliquid, nihil omnino conferendo ad actum volendi aut nolendi; cum omnis actus sive volendi, sive nolendi, sit essentialiter activatendentia voluntatis. Altera vero cadere potest in actus elicitos voluntatis etiam liberos, ut patet in mercatore, qui metu naufragii sic projicit merces in mare invitatus, ut libere projiciat, & quia vult projicere, cum posset nolle projicere, & malle subire periculum naufragii, quam pati jacturam mercium suarum. Prima tollit omnino voluntarium & liberum, secunda voluntarium, non liberum minuit. Libertas à prima non sufficit ad libertatem arbitrii, sed requiritur: libertas vero à secunda nec sufficit, nec requiritur.

Libertas à simplici necessitate, quæ ad libertatem arbitrii requiritur, dicitur libertas indifferentia, & est naturalis facultas pro arbitrio & ex propria determinatione hoc vel illud agendi, hoc agendi vel non agendi, positis omnibus ad agendum prærequisitis. Hæc autem facultas necessaria est ad hoc, ut ea, quæ à nobis bene vel male fiunt, imputentur nobis ad laudem vel ad vituperium, ad præmium vel ad poenam. His præsuppositis,

*Ad obj. R.* S. Doctorem tunc loqui de libertate liberationis, vel à servitute demonis, vel à servitute peccati, vel à servitute concupiscentia, aliarumque miseriarum, sive corporalium, sive spiritualium, vel à servitute difficultatis in bono faciendo & malo vitando, aut etiam de libertate à coactione sive perfecta sive imperfecta: utramque enim sæpe patimur à concupiscentia, quæ nos sæpe ad consensum pertrahit

aliquo modo invitos, sæpe etiam voluntate nihil omnino conferente, sed quantum potest repugnante, erumpit in motus inordinatos, & rationi contrarios. At præter has libertates, aliam agnoscit S. Doctor, nempe libertatem arbitrii, quam propter justum iudicium Dei vindicat ab omni vinculo necessitatis, hoc est, quam vindicat ab omni antecedenti & intrinseca ad unum determinatione, ut sit in nobis sufficiens principium meriti & demeriti, & actus nostri, prout bene vel male à nobis fiunt, jure merito nobis imputentur ad laudem vel ad vituperium, ad mercedem vel ad supplicium.

*Obj. 2.* Ex S. Augustino, actus aliquis hoc ipso liber est libertate arbitrii, quod est in nostra potestate: sic enim loquitur S. Doctor lib. 3. de lib. arb. cap. 3. *Voluntas nostra (id est, volitio) nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera est nobis.* Atqui ex eodem, volitio, etiam necessaria, est in nostra potestate. Ergo ex Augustino, volitio, etiam necessaria, libera est libertate arbitrii, & consequenter, juxta mentem Augustini, necessitas simplex non repugnat libero arbitrio.

*R. neg. min.* Nam juxta mentem S. Augustini, illud solum est in nostra potestate, de quo possumus pro arbitrio in utramque partem disponere, ut patet ex lib. de Spir. & litt. cap. 31. ubi sic ait S. Doctor: *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, facit; si non vult, non facit.* Hominem enim aliquid facere, si vult, non facere, si non vult, non est aliud, secundum communem loquendi modum, quam posse pro arbitrio illud facere, vel non facere, & omni ad illud faciendum vel non faciendum antecedenti determinatione intrinseca carere, & consequenter nihil aliud est, quam posse de illo pro arbitrio disponere in utramque partem. At manifestum est, eos non posse in utramque partem de illo disponere, quod antecederet & intrinsece necessarium est. Ergo juxta mentem S. Augustini, volitio necessaria non est in nostra potestate.

*Instabis.* Juxta mentem S. Augustini, volitio, hoc ipso præcisè quod volitio est, est essentialiter in nostra potestate. Patet ex verbis proximè citatis: *Voluntas nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate.* Superius dixerat S. Doctor: *Nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas, est.* Atqui omnis volitio, quantumvis necessaria, est volitio. Ergo juxta S. Augustinum, volitio, quantumvis necessaria, est essentialiter in nostra potestate.

*R. neg. maj. Ad prob. R.* loco citato, & aliis similibus, S. Doctorem intelligere, non volitiones quaslibet, sed eas tantum, quæ sunt à voluntate, ut est facultas volendi, activè ad volendum vel non volendum indifferens, & expertis omnis antecedentis determinationis intrinseca ad unum. Patet ex ipso cap. quod nobis objicitur, & ubi S. Augustinus non semel voluntatem seu volitionem opponit antecedenti necessitati, etiam voluntariæ. *Miraris, inquit, quomodo non sunt contraria & repugnantia, ut Deus præsciens sit omnium futurorum, & nos non necessitate, sed voluntate peccemus.* Si enim præsciens est Deus, inquit, peccatum esse hominem, necesse est ut peccet: si autem necesse est, non ergo est in peccando voluntatis arbitrium, sed potius inevitabilis & fixa necessitas. Quæ rationatione hoc videlicet ne conficiatur, times, ut aut Deus futurorum omnium præsciens impie negetur, aut si hoc negare non possumus, fateamur non voluntate, sed necessitate peccari.

*Instabis.* S. Augustinus lib. 3. de lib. arb. c. 3. jam citato dicit, præscientiam divinam coherere cum libero arbitrio, quia præcisè non impedit, ne præscita volitio sit volitio, & in conciliando libero arbitrio cum præscientia divina sollicitus tantum est de libertate à coactione, nullatenus de libertate à simplici necessitate: nam sic loquitur: *Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera est nobis. Ita fit, ut & Deum non negemus esse præscium omnium futurorum, & nos tamen velimus, quod volumus. Cum enim sit præ-*



vis concinentem, & aperte adversantem Luthero, Calvino & Janenio.

Secunda necessitas est ea, non secundum quam dicimus aliquid necessarium esse, sed, quod longe aliud est, secundum quam dicimus, necesse esse, ut aliquid ita sit, vel fiat. Hæc necessitas est extrinseca, quia nihil per se immediate ponit in re, vi cuius necessaria sit: est hypothetica, non absoluta, quia supponit aliquam hypothesein, ex qua resultat. Unde subdividi potest in antecedentem simpliciter, & antecedentem secundum quid, seu consequentem. Cujus subdivisionis primum membrum prætermittit hic S. Doctor, utpote non necessarium ad refellendos Stoicos, contra quos hic disputat.

Necessitas extrinseca antecedens simpliciter est ea, quæ resultat ex aliqua hypothese, quæ nullo modo in potestate nostra est, ut fuerit, vel non fuerit. Talis est necessitas, secundum quam dicimus, necesse esse, ut prædestinati salventur, vel secundum quam dicimus, necesse esse, ut actus à Deo prædestinati fiant. De hac necessitate in Tractatu de Deo, secundum principia SS. Augustini & Thomæ, fusè disputavimus. Necessitas extrinseca consequens, seu antecedens secundum quid tantum, est ea, quæ resultat ex aliqua hypothese, quæ aliquo modo est in nostra potestate, ut fuerit, vel non fuerit. Talis est necessitas illa, secundum quam dicimus necesse esse, ut actus à Deo absolute prædicti, sint pro eo tempore, pro quo à Deo prædicantur esse futuri. Hypothesis enim præscientiæ divinæ est aliquo modo in potestate nostra, ut fuerit vel non fuerit: nam cum actus nostri non sint futuri, quia Deus præscit eos esse futuros, sed è contra Deus præscit esse futuros, quia futuri sunt, ut docet S. Augustinus cap. citato, præscientia divina, ut fuerit, vel non fuerit, dependet, seclusis imperfectionibus, à futuritione vel non futuritione actuum nostrorum, atque ita cum futuritio vel non futuritio actuum nostrorum dependeat à nobis, à nobis quoque, seclusis imperfectionibus, dependet præscientia divina, ut fuerit, vel non fuerit.

De hac igitur necessitate rectè dicitur à S. Doctore: *Si autem illa definitur esse necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis.* Cum enim resultet ex aliqua hypothese, quæ in potestate nostra est, ut fuerit, vel non fuerit, ipsa consequenter, ut fuerit, vel non fuerit, est in potestate nostra. Necessitas autem, quæ sic est in nostra potestate, non modo non auferit libertatem voluntatis, sed è contra supponit aliquod ejus exercitium, non quidem realiter, sed, quod sufficit, ratione & natura prius. Necessitas igitur secundum quam dicimus necesse esse, ut actus, quibus bene vel malè vivimus, aliquando sint, quia Deus eos præscit, nec nocet, nec nocere potest eorum libertati: cum enim resultet ex hypothese, quæ in potestate nostra est, ut fuerit, vel non fuerit, ipsa quoque, ut fuerit, vel non fuerit, est in potestate nostra. Sicut autem libertati actuum nostrorum nocere non potest necessitas, quæ à nobis pendet, ut sit, vel non sit; ita nec ea, quæ à nobis pendet aut pendeat, ut fuerit, vel non fuerit.

Præterea, hæc necessitas extrinseca & consequens, non tantum, quod vel solum sufficit ad salvandam libertatem arbitrii & activam indifferentiam, non tantum, inquam, cadit in substantiam, sed etiam in modum actuum prædictorum: cum enim Deus non solum præsciat actus, quibus bene vel malè vivimus, esse futuros, sed etiam tali modo, hoc est, liberè libertate arbitrii futuros, & à facultate ad opposita activè indifferente eliciendos esse, necesse est, ut actus, quibus bene vel malè vivimus, non solum aliquando fiant, quia Deus præscit esse futuros, sed etiam ut tali modo, hoc est, liberè libertate arbitrii fiant, & à facultate ad opposita activè indifferente eliciantur. Necessitas igitur extrinseca & consequens, orta ex infallibilitate præscientiæ divinæ, non modo non auferit libertatem voluntatis, seu activam ad utrumque oppositorum indifferentiam, sed potius eam infert, estque illius veluti quoddam tutissimum sigillum, quo minuitur, & protegitur. Ex hy-

pothesi enim præscientiæ divinæ, tanta certitudine & infallibilitate actus, quibus bene vel perperam vivitur, eliciuntur liberè & cum facultate ad utrumque oppositorum expedita, quanta certitudine & infallibilitate Deus præscit, quidquid præscit. Hanc esse mentem S. Augustini, manifestum est ex dictis obj. 2. inst. 2.

Hanc autem doctrinam confirmat & illustrat S. Doctor duobus exemplis. Primum petit à vita accidentali & præscientia Dei, hoc est, ab actibus liberis & contingentibus voluntatis & intellectus divini, quibus scilicet vivit Deus in actu secundo: velle enim & intelligere, est vivere. Sic itaque loquitur cap. citato: *Neque enim & vitam Dei & præscientiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse, Deum semper vivere, & cuncta præscire*, hoc est, quamvis dicamus necesse esse, ut Deus semper & immutabiliter velit, quidquid vult circa alia à se; non idcirco tamen dicimus Deum necessariò velle id, quod vult circa alia à se. Aliud enim est, Deum necessariò velle alia à se, & aliud necesse esse, Deum velle semper & immutabiliter alia à se, ex hypothese quòd velit alia à se. Sic Deus non necessariò, sed ex propria determinatione vult mundum, licet ex hypothese quòd velit mundum, necesse sit, ut immutabiliter velit illum ab æterno & pro æterno.

Similiter licet dicamus necesse esse, ut Deus præsciat omnia futura, quæ futura sunt, non idcirco dicimus præscientiam divinam esse absolute necessariam: aliud enim est necesse esse, ut Deus præsciat omnia futura, quæ re ipsa futura sunt, & aliud absolute & simpliciter Deum necessariò præscire; & quamvis ex hypothese quòd sint aliqua futura, Deus non possit illa non præscire; quia tamen sic futura sunt, ut potuerint non esse futura, sic Deus præscit illa necessariò ex hypothese, ut potuerit non præscire: cum Deum repugnet præscire ut futura, quæ non sunt futura. Unde præscientia divina sic necessaria est ex hypothese futurorum, ut sit in se contingens & libera Deo, qui pro suo arbitrio potuit velle vel non velle, ut essent aliqua futura, & ita potuit pro suo arbitrio habere vel non habere futurorum aliquorum præscientiam. Igitur necessitas, secundum quam dicimus necesse esse, ut Deus velit ab æterno & pro æterno omnia, quæ vult extra se, & omnia futura præsciat, non tollit libertatem decretorum divinorum, nec contingentiam præscientiæ divinæ, nec liberum liberi arbitrii divini exercitium impedit, sed supponit, cui proinde non plus nocet, quam necessitas non moriendi, & nunquam à vero aberrandi, nocet omnipotentia divinæ. Quod exemplum obiter assumit S. Doctor: *Sicut, inquit, nec potestas ejus minuitur, cum dicitur mori fallique non posse.*

Alterum exemplum petit loco citato S. Doctor à libero nostro arbitrio, in hunc modum: *Sicut etiam cum dicimus necesse esse, ut, cum volumus, libero velimus arbitrio: & verum proculdubio dicimus, & non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati subicimus, quæ adimit libertatem*; hoc est, verè & rectè dicimus necesse esse, ut libero velimus arbitrio, cum liberè volumus; nec tamen hoc dicendo imponimus libero arbitrio necessitatem, quæ sit contraria libertati, seu indifferentiæ activæ, in qua consistit ratio liberi arbitrii. Nam necessitas illa, secundum quam dicimus necesse esse, ut libero velimus arbitrio, si liberè volumus, non impedit liberum exercitium indifferentiæ activæ, sed includit: cum necesse esse, ut, si liberè volumus, libero velimus arbitrio, nihil aliud sit, quam necesse esse, ut liberè velimus, cum liberè volumus, & libera volitio sit actuale exercitium liberi arbitrii, sic ut impossibile sit nos liberè velle, & libertatem arbitrii non exercere. Quæ vera sunt sine ullo libertatis arbitrii præjudicio. Cum hac enim necessitate manet immunitas ab antecedenti ad unum determinatione, seu activa indifferentia ad volendum vel non volendum pro arbitrio.

Graviter igitur errant Stoici, cum omnem promiscuè necessitatem remonent à libertate arbitrii, velut illi inimicam. Nam, ut ex dictis apparet, arbitrii libertati non officit necessitas illa, secundum quam dicimus necesse esse, ut aliquid ita sit, vel fiat ex aliqua hypothese: cum tali enim necessitate activam indifferentiam ad

ad utrumlibet oppositorum expeditam manere, satis superque ostensum est. Unde graviter errant, dum, ut homini liberum circa actus, quibus bene vel male vivitur, arbitrium asserant, negant in Deo præscentiam omnium futurorum, quia, si Deus futura omnia præscent, necesse est ut fiant actus, quibus bene vel male vivitur. Errant, inquam, quia, non obstante hac necessitate, actus illi adhuc liberè fient, imò propter illam certius liberè fient, ut probatum est. Quod

Confirmat adhuc S. Doctor his verbis: *Neque ideo peccat homo, quia Deus illum peccatum præscent; imò non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cuius præscentia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccatum esse præscent, qui si nolit omnino, non peccat, sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscent; hoc est, non ideo malè agit, quia Deus præscent illum malè acturum, sed è contra Deus præscent illum malè acturum, quia malè agit. Unde non dubitatur illum malè agere ex propria voluntatis determinatione; quia ille, cuius præscentia non fallitur, præscent eum, non ex antecedenti aliqua & ineluctabili necessitate, sed ex libera voluntatis determinatione malè acturum esse. Potest igitur is, qui peccat, pro arbitrio velle, vel non velle peccare, licet Deus præscent illum esse peccatum; ita tamen, ut si noller peccare, Deus illum peccatum non esse præscent. Non ergo Deus præscent falli potest, quia si homo peccaturus est, Deus præscent peccatum, si verò peccaturus non est, Deus præscent non peccatum, nec tamen hæc præscentiæ divinæ infallibilitas aufert, sed è contra infert activam indifferentiam voluntatis, & liberam fututionem actus. Quocirca, inquit S. Doctor, nullo modo cogimur, aut retenta præscentia Dei, tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum, quod nefas est, negare præscent futurorum: sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confitemur, non quia præcisè libertas à coactione, ut contra manifestam veritatem contendit Janfenius, sed quia libertas etiam indifferentiæ cum infallibilitate præscentiæ divinæ manere convincitur.*

## ARTICULUS IV.

*Utrum S. Augustinus senserit liberum arbitrium, secundum statum quem habet in homine viatore consideratum, esse facultatem bene vel male agendi pro arbitrio, positis omnibus ad agendum prærequisitis.*

## RESPONSIO.

**I**Ta sensit S. Augustinus.

*Prob. 1. Ex lib. 2. contra Faustum c. 5. Nos quidem sub fato stellarum, inquit, nullius hominis generis ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo bene vel male vivitur, propter iustum iudicium Dei ab omni vinculo necessitatis vindicemus. Igitur juxta S. Doctorem, liberum hominis viatoris arbitrium est facultas bene vel male vivendi, & consequenter facultas bene vel male agendi, ab omni vinculo necessitatis expedita.*

*2. Ex lib. de grat. & lib. arb. c. 2. ubi S. Doctor refert hæc verba Ecclesiastici: Ipse ab initio fecit illum, & reliquit illum in manu consilii sui. Si volueris, conservabis mandata, &c. Quibus verbis scriptor sacer describit liberum arbitrium hominis viatoris. Illis autem recitatis, sic prosequitur S. Augustinus: Ecce aperte videmus expressum liberum humane voluntatis arbitrium. Unde sic argumentor breviter. S. Augustinus liberum hominis viatoris arbitrium constituit in ea facultate, quam homini viatori attribuit Ecclesiasticus. Atqui Ecclesiasticus attribuit homini viatori potestatem bene vel male agendi pro arbitrio, & abique omni antecedenti ad bene vel male agendum necessitate intrinseca. Ergo, &c.*

*3. S. Doctor lib. 1. operis imperfecti, n. 78. & 79. refert hæc Juliani verba: Libertas arbitrii, qua à Deo emancipatus homo est, in admittendi peccati, & absti-*

*nendi à peccato possibilitate consistit. Factum est enim animal rationale, mortale, capax virtutis & vitii, quod possit ex concessa sibi possibilitate, vel servare Dei mandata, vel transgredi. Ecce Julianus manifestè liberum hominis viatoris arbitrium describit per libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, cui sanè consentit Augustinus, dum hic obiter castigat tantum illud, quo à Deo emancipatus homo est; quia hoc modo loquendi suggerit Julianus hominem non indigere gratia Dei. Unde petit ab illo Augustinus, ut agnoscatur, non aliud esse arbitrium laudabiliter liberum, nisi quod fuerit Dei gratia liberatum.*

*4. Eod. lib. & inferius, recitat S. Doctor hæc alia Juliani verba, n. 82. Libertas arbitrii possibilitas est vel admittendi vel vitandi peccati, expers cogentis necessitatis, hoc est, omnis antecedenti necessitatis, etiam voluntariæ, ut interpretatur ipse Janfenius. Juliano autem ita perspicue libertatem arbitrii, qualem habent homines viatores, in libertate indifferentiæ circa bonum & malum constituenti id unum opponit: Homo non potest servus esse justitiæ, & liber à dominante peccato, nisi eum Filius liberaverit, hoc est: Homo non potest sine gratia Christi libertatem illam arbitrii laudabiliter exercere, servando justitiam, & abstinenti à peccato. Juxta phrasim Augustini, homo servus est justitiæ, & liber à dominante peccato, cum amat quod justum est, & odit quod injustum, sicut oportet ad salutem, ad quod utrumque necessaria est gratia Christi liberatoris. Unde homo cum illa libertate arbitrii, & consequenter cum illa facultate bene vel male agendi pro arbitrio, positis omnibus ad agendum prærequisitis, quam habet, indiget gratia Christi liberatoris, ut bonum velit, & malum nolit, sicut oportet ad salutem: quod confiteri volebant Pelagiani.*

*Obj. S. Augustinus hoc lib. 1. operis imperfecti, n. 100. sic ait: Si liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est, bonum & malum, liber Deus non est, qui malum non potest velle, de quo etiam ipse dixisti (Julianum alloquitur) Deus esse, nisi iustus, non potest: sicine Deum laudas, ut ei asseras libertatem? R. S. Doctorem hic solum obiter reprehendere Julianum, quod minus accuratè loqueretur, & videretur libertatem arbitrii, generaliter sumptam, restringere ad solam indifferentiam activam circa bonum & malum. In quo S. Doctor meritis castigat Julianum. Quamvis enim libertas arbitrii, considerata secundum statum, quem habet in homine viatore, & prout est principium meriti & demeriti, sit etiam facultas bene vel male agendi pro arbitrio; atamen, si sumatur generaliter, prout convenit Deo & homini, vel, si vis, si sumatur secundum rationem essentiali, solum est facultas eligendi hoc vel illud, hoc eligendi vel non eligendi, servato ordine finis, in suo loco ostensum est. Nec aliud intendit S. Doctor, qui nunquam reprehendit Pelagianos, quod libertatem arbitrii, qualem habet homo viator, describant per libertatem indifferentiæ circa bonum & malum.*

## ARTICULUS V.

*Utrum S. Augustinus senserit, ad merendum & demerendum in hoc statu, necessariam esse facultatem bene vel male agendi pro arbitrio, positis omnibus ad agendum prærequisitis.*

## RESPONSIO.

**I**Ta sensit S. Augustinus.

*Prob. 1. Ex lib. 3. de lib. arb. c. 1. ubi, postquam probavit, motum illum, quo voluntas avertitur à communi atque incommutabili bona, & ad propria, vel aliena, vel infima, atque omnia commutabilia convertitur bona, culpabilem esse; probavit, inquam, ex eo quod non naturalis, sed voluntarius est, & animus potest illum cohibere, hoc est, in illum erumpere vel non erumpere pro arbitrio; sic Evodium convictum inducit loquentem: Motus, quo huc atque illuc volun-*

voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate; neque laudandus, cum ad superiora, neque culpandus homo esset, cum ad inferiora detorqueat quasi quandam cardinem voluntatis. Per voluntarium autem, & in nostra positum potestate, ut ex contextu manifestum est, hic intelligitur id, quod est à facultate immuni ab antecedenti quavis ad unum determinatione intrinseca. Ergo, &c.

2. Ex lib. de nat. & grat. c. 65. ubi ad hæc Hieronymi verba: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas est, nec corona nec damnatio est*; exclamat S. Doctor: *Quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat?* Atqui manifestè S. Hieronymus verbis laudatis ad meritum & demeritum requirit immunitatem in agente ab omni necessitate, etiam voluntaria. Loquitur enim de necessitate simpliciter, & consequenter de qualibet necessitate antecedenti, siue violenta sit, siue non. Ergo, &c.

3. Ex lib. 3. de lib. arb. jam citato c. 18. ubi hæc habet S. Doctor: *Hoc brevissimum tene: quicumque ista causa est voluntatis (malæ) si ei non potest resisti, sine peccato ei ceditur. Si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Et lib. de duabus animabus c. 12. sit ait: Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summe iniquitatis est & infamiae. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, id est, si libero ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent, si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato earum teneri non possumus. Ex his autem sic argumentor breviter. Ex S. Doctore, homo peccare non potest sine libertate indifferentiæ. Ergo ex eodem, demereri non potest sine libertate indifferentiæ: cum non nisi peccando demereri possit. Sed quod S. Doctor sensit de demerito, de merito etiam sensisse dubitari non potest. Ergo ex S. Doctore, homo non potest mereri sine libertate indifferentiæ. Ergo ex S. Doctore, ad merendum & demerendum in hoc statu non sufficit libertas à coactione, sed requiritur libertas à simplici necessitate, quæ constituit libertatem indifferentiæ.*

Obi. S. Doctor Julianum alloquens lib. 1. operis imperfecti n. 105. sic ait: *Cogitare te existimo, quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, quanto labore discatur. Qui autem hoc nesciunt, ipsa boni appetendi malique vitandi ignorantia patiuntur peccandi necessitatem. Necessè est enim, ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet, facit. De quo genere malorum Deus rogatur, ubi dicitur: Delicta juventutis & ignorantia mea ne memineris. Quod genus delictorum si non imputaret Deus iustus, non ea sibi dimitti posset homo fidelis. Ergo ex S. Augustino, homo demereri potest cum necessitate peccandi, & peccando necessariò, demereretur. Ergo ex S. Augustino, ad demeritum non requiritur immunitas à necessitate. Quod confirmatur ex his ejusdem S. Doctoris verbis, inferius positis, n. 106. Necessè est, ut peccet, à quo ignoratur iustitia: numquid ideo, cum iustitiam cognoverit, non sunt ei remittenda peccata, quæ ignorantia necessitate commisit?*

R. dist. 1. conf. Ergo ex S. Augustino, homo demereri potest cum peccandi necessitate consequenti, & demereretur peccando necessariò necessitate consequenti, C. 1. conf. Homo demereri potest cum peccandi necessitate antecedenti, & demereretur peccando necessariò necessitate antecedenti, N. 1. conf. & dist. similiter 2. conf. Ex S. Augustino, ad demeritum non requiritur immunitas à necessitate antecedenti, N. 2. conf. Non requiritur immunitas à necessitate consequenti, C. 2. conf. Nam hæc necessitas non tollit indifferentiam activam, sed supponit aliquod ejus exercitium. Ut autem bonitas hujus repositionis appareat,

Simonet Theol. Tom. 1.

Nota. S. Doctor locis citatis agit de peccatis ignorantia, hoc est, de peccatis, quæ fiunt ex ignorantia culpabili, quæ scilicet potuit & debuit vinci, nec tamen victa est, quia homo neglexit inquirere, quantum poterat, & tenebatur inquirere. Unde hæc ignorantia est indirectè volita, & est in potestate hominis, ut sit vel non sit; quam ob rem ipsa peccatum est, nec operantem ex illa à peccato excusare potest. Peccatum autem factum ex tali ignorantia non potest esse necessarium, nisi necessitate consequenti, quia non admittitur, nisi ex duplici hypothesi, quæ supponit aliquod exercitium indifferentiæ activæ, & consequenter facere non potest, nisi necessitatem consequentem. Pro quo,

Nota iterum. Eatenus aliquis peccat peccato ignorantia, quatenus ex propria determinatione exercet actionem aliquam malam, & actionis malitiam, quæ cognita actionem omitteret, non ignorat nisi culpabiliter; & ita eatenus, qui sic agit, necessariò peccat, quatenus ex hypothesi, quod hanc actionem, quæ mala est, exerceat ex propria determinatione & electione, nec malitiam ejus nisi culpabiliter ignoret, non potest actio non esse mala formaliter & imputabiliter; & hoc est, quod dicit S. Doctor, cum ait: *Necessè est, ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet, facit.* Duplex autem illa hypothesi vel includit, vel supponit aliquod indifferentiæ activæ exercitium, proindeque facere non potest, nisi necessitatem consequentem, quæ sufficientissimè in potestate voluntatis est, ut sit vel non sit. Unde mirum non est, quod non impediat imputabilitatem & demeritum. Ponamus rem in exemplo. Judex aliquis, ignarus aliquarum legum, vel consuetudinum, quas scire tenetur, ferat sententiam injustam, quam tamen justam esse putat, quam fert, quia putat esse justam, peccat peccato ignorantia, & necessariò peccat, sed necessitate hypothetica tantum & consequenti, quatenus non potest non esse reus injustitiæ, hoc ipso quod liberè & sine antecedenti necessitate fert sententiam illam, nec ejus malitiam ignorat, nisi ea ignorantia, quæ operantem ex ea excusare non potest. Sed de peccatis ignorantia adhuc aliàs suo loco.

Dices. S. Doctor loquitur de peccatis, quæ fiunt ex ignorantia invincibili: loquitur enim de ignorantia, quæ est pœna peccati. Ergo loquitur de peccatis, quæ necessariò fiunt necessitate antecedenti. Ergo ex S. Doctore, homo peccare & demereri potest cum antecedenti necessitate ad malè agendum. R. 1. neg. conf. 1. & 2. Nam dato quod S. Doctor loquatur de ignorantia invincibili, & hominem malè agentem ex tali ignorantia dicat peccare imputabiliter, adhuc non dicit hominem peccare & demereri cum necessitate simpliciter antecedente. Dato enim, quod homo malè agendo ex ignorantia invincibili peccet imputabiliter, non sic peccabit, nisi quia actionem malam, & ut talem ignoratam invincibiliter in pœnam alicujus peccati, exercebit liberè, & sine antecedenti ad unum determinatione: nisi enim eam liberè exerceat, nequidem voluntaria erit voluntarietate facti. At omne peccatum, juxta S. Doctorem, debet esse voluntarium saltem voluntarietate facti, ut patet ex lib. 1. retract. c. 15.

R. 2. neg. ant. Ad prob. R. juxta S. Doctorem, ignorantiam, quæ est pœna peccati originalis, duplicem esse, unam invincibilem, quæ operantem ex ea excusat à peccato: de hac ignorantia loquitur lib. 3. de lib. arb. c. 18. ubi ait: *An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* Alteram verò vincibilem: de hac ignorantia loquitur, cum ait: *Qui autem hoc nesciunt, ipsa boni appetendi, malique vitandi ignorantia patiuntur peccandi necessitatem*: hic enim loquitur de ignorantia, quæ non ex impossibilitate, sed ex magna difficultate addiscendi, quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, laborat homo, non adhibens tantam, quantum potest & debet, diligentiam, ad illam depellendam: ut patet ex antecedentibus. Hæc

Aa 180.

ignorantia non solum poena peccati est, sed etiam peccatum, & imputabilis ignorantia, & ita operantem ex ea excusare non debet.

*Dices.* Juxta S. Doctorem, datur in homine lapsio necessitas ignorandi multa ex jure naturali, quae tenetur scire, & quo. uni proinde ignorantia imputatur illi. Ergo juxta S. Doctorem, homo lapsus demeretur in iis, ad quae necessitatur, & consequenter necessitas non impedit demeritum. *R.* juxta S. Doctorem, dari quidem in homine lapsio necessitatem ignorandi aliqua ex jure naturali, quae tenetur addiscere, & quae proinde non addiscendo peccat & demeretur, pro gravitate vel levitate negligentiae suae; sed haec necessitas non est physica, sed moralis tantum: non enim erit ex absoluta impossibilitate, sed solum ex magna difficultate addiscendi omnia, quae appetenda vel vitanda sunt in agenda vita. Ex qua difficultate evenit regulariter, ut ignoremus aliqua ex iis, quae scire tenemur; ignoremus, inquam, quia non tantam adhibemus diligentiam, quantum adhibere possemus & deberemus. Unde ignorantia illa nobis sufficienter voluntaria & libera est ad hoc, ut per illam peccemus & demereamur. Hinc cum morali necessitate ignorandi stare potest peccatum & demeritum in ignorando: at stare non potest cum absoluta & physica necessitate ignorandi, quia hanc vincere non possumus; illam vero, licet non sine magno labore, possumus.

*Dices.* S. Doctor post verba ultimo loco citata in objectione, sic loquitur: *Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi; sed ut non obstitit necessitas, donat ille cui dicitur: De necessitatibus meis erue me. Donat autem duobus modis, & praeteritam dimittendo iniquitatem, & opitulando, ne intremus in temptationem: unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua.* Ergo, &c. *R.* S. Doctorem hic & aliis similibus locis loqui de morali necessitate peccandi, orta partim ex ignorantia culpabili eorum, quae ad vitam recte instituendam pertinent, partim ex effreni concupiscentia. Quae moralis necessitas non est aliud, quam magna illa ad malum propensio, vi cuius peccatores, destituti specialibus illis gratiae auxiliis, quibus adjuvantur, & ad quae per gratiam sanctificantem jus habent ii, qui iusti sunt & amici Dei, vi cuius, inquam, peccatores in omnibus aut ferè omnibus, ut ipsa ostendit experientia, inordinatis concupiscentiae motibus obsequuntur. Peccant autem & demerentur cum magna illa ad malum propensione, quia tollit solam libertatem aequilibrii, & cum illa manet indifferentia activa, & tandiu manet, quoad vehementia passionum usus rationis non intercipitur, Deo etiam per gratuitam providentiam res ita ordinante, ut peccatores illi non necessitentur simpliciter ad malum; nec ita illos deferente, ut non possint non obsequi motibus concupiscentiae, quanquam hoc utiliter ad salutem facere omnino non possint sine adiutorio interioris inspirationis.

Hanc esse S. Augustini doctrinam patet ex lib. 1. contra duas epist. Pelag. c. 3. ubi peccatores cum morali illa peccandi necessitate, quam patiuntur, indifferentiam activam, in qua arbitrii libertas posita est, habere, expressè docet. *Non itaque, inquit, sicut dicunt nos quidam dicere, & iste (Julianus) audeat insuper scribere, omnes in peccatum veluti inviti carnis suae necessitate coguntur: sed si jam in ea etate sunt, ut propriae mentis utantur arbitrio, & in peccato sua voluntate retinentur, & a peccato in peccatum sua voluntate praecipitantur.* Neque enim facit in eis, etiam qui suadet & decipit, nisi ut peccatum voluntate committant, vel ignorantia veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo, & cecitatis & infirmitatis. Sed haec voluntas, quae libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est. Et c. 2. dixerat: *Liberrimum arbitrium usque adeo in peccatore non perit, ut per illud peccent maxime omnes qui cum delectatione peccant.* & amore peccati hoc eis placet, quod eis lu-

bet, Unde & Apostolus: *Cum essetis, inquit, servi peccati, liberi fuistis iustitiae.* Ecce ostenduntur etiam peccato minime potuisse, nisi alia libertate, servire. Liberi ergo a iustitia non sunt, nisi arbitrio voluntatis: liberi autem a peccato non sunt, nisi gratia Salvatoris.

Nec dic S. Doctorem his locis non aliam peccatoribus attribui libertatem, quam libertatem a coactione, & spontaneitatis. Nam responder Pelagianis ipsum criminantibus, velut everforem liberi arbitrii, & per liberum arbitrium facultatem activè indifferentem intelligentibus. Unde vel responder de facultate activè indifferente, & eam in peccatoribus ad malum faciendum vel omitendum pro arbitrio existere asserit; vel tergiversatur, & difficultatem fugit, non solvit. Adde, à nobis suo loco demonstratum esse, quod S. Augustinus cum Pelagianis in liberi arbitrii notione consenserit.

*At inquit.* Quid ergo sibi vult illud, *Voluntas (peccatorum) libera est in malis, quia delectatur malis;* & illud, *Per liberum arbitrium peccant maxime omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet;* & illud, *In peccato sua voluntate retinentur, & a peccato in peccatum sua voluntate praecipitantur.* *R.* ad 1. sensum esse, quod voluntas peccatorum libera sit ad mala sectanda & perpetranda, quia objecta sensibilia, quantumvis rectae rationi repugnantia, talia sunt relatè ad naturam viriatam, ut possit in illis sibi complacere, illa amare, illa prosequi, si velit: nam si non posset nisi illa fastidire, illa odifere, certè ad illa sectanda & perpetranda, libera non esset. Vel voluntas peccatorum liberè facit malum, quod facit, quia liberè illud amat, & amando, liberè de illo delectatur: omnis enim amor est delectatio quaedam. Vel denique, voluntas peccatorum liberè malum facit, quod facit, quia placet illi, licet non ita placeat, ut ad illud faciendum necessitetur simpliciter. Unde facit illud, non quia cogitur, sed quia se ipsa determinat ad illud faciendum.

*R.* ad 2. ita loqui S. Doctorem, quia ii, qui cum delectatione peccant, dici non possunt cogi ad malum, & inviti malum agere, quia agunt ex amore peccati, & propter hunc amorem placet eis, quod eis libet agere. Non autem inviti & coacti prosequimur, quod nobis placet. Unde superest, ut dicantur ii, qui cum delectatione peccant, peccare, quia volunt, & ipsi sese ad peccandum determinant. Sic in usu communi & extra scholas solemus argumentari, & ex eo, quod quis non cogitur ad aliquid faciendum, illud abique omni antecedenti necessitate atque ex propria electione facere concludimus.

*R.* ad 3. S. Doctorem, quotiescumque agitur de arbitrii libertate, nomine voluntatis intelligere actum elicitem a facultate ad opposita activè indifferente, & immuni ab antecedenti qualibet ad unum determinatione intrinseca, ut jam ostensum est superius, & adhuc fortasse ostendetur infra.

## ARTICULUS VI.

Utrum S. Augustinus senserit hominem lapsum habere libertatem indifferentiam circa bonum & malum.

### RESPONSIO.

Ita constanter sensit S. Augustinus.

Hac Responsio, quae est contra Lutherum, Calvinum & Janenium, sequitur evidenter ex dictis haecenus hac Disput. & adhuc breviter ex duobus locis ostenditur. Primus est lib. 2. contra Felicem Manichaeum c. 4. ubi sic ait S. Doctor: *Habet unusquisque in voluntate aut eligere, quae bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere, quae mala sunt, & esse arbor mala.* Secundus est lib. 1. operis imperfecti contra Julianum n. 98. ubi ita loquitur S. Augustinus: *Ex quo homo incipit uti voluntatis arbitrio, & peccare & non peccare potest. Sed alterum horum non facit, nisi adjuvus ab eo, qui dixit, Sine me nihil potestis facere: alterum vero propria voluntate.* Quid

Quid expressius dici potuit? Itaque ex S. Doctore, ex quo homo in hoc statu naturæ lapsæ incipit uti arbitrio voluntatis, habet potentiam peccandi vel non peccandi, potentiam bene vel malè agendi; cum hoc tamen discrimine, quod cum malè agit, malè agit propria voluntate, hoc est, solis suis viribus, & ex sola sua determinatione, Deo nullatenus suadente, aut impellente: bonum verò non facit, nec facere potest, utiliter scilicet ad salutem, sine adiutorio interioris gratiæ, voluntatem agrotam & infirmam sanantis & corroborantis.

*Obj. 1.* Ex S. Augustino, pluribus locis, liberum arbitrium per peccatum Adami factum est servum & captivum peccati. Item subiectum est dominatui concupiscentiæ. Item obnoxium est servituti demonis, *R. ad 1.* servitutem & captivitatem illam peccati, juxta mentem S. Doctoris, aliud non esse, quam magnam illam propensionem ad malum, ex peccato originali ortam, vi cuius homo antequam liberetur per gratiam justificantem, & adjuvetur per auxilia illa specialia, quæ gratiæ justificanti annexa sunt, in peccata frequentissime prolabitur, & ut loquitur Sanctus Doctor, à peccato in peccatum sua voluntate præcipitur. Magna autem illa ad malum propensio non facit necessitatem propriam & physicam, sed impropriam tantum & moralem, quacum manere potest, & manet libertas indifferentiæ circa bonum & malum.

*R. ad 2.* liberum arbitrium in pœnam culpæ originalis esse, juxta mentem S. Doctoris, sub dominatu concupiscentiæ, in homine scilicet non liberato per justificationis gratiam; quatenus homo, quandiu manet in statu peccati, motus concupiscentiæ magis importunos, magisque vehementes experitur, illisque, saltem ut plurimum, sua voluntate obsequitur, destitutus auxiliis illis majoribus & frequentioribus, quæ reservantur justis & amicis Dei, tanquam eis propter sanctificantem gratiam, per quam naturæ divinæ participes effecti sunt, connaturaliter debita.

*R. ad 3.* similiter liberum arbitrium in pœnam peccati originalis esse, secundum mentem S. Doctoris, sub servitute & tyrannide demonis, in homine scilicet existente in statu peccati, quatenus homo peccator, privatus speciali protectione Dei, quæ demon cohibetur, graviores & frequentiores patitur demonis insultus, eique saltem ut plurimum cedit, & ab eo se regi sinit, utpotè destitutus potentioribus illis gratiæ auxiliis, quæ iustorum & amicorum Dei propria sunt. Sub illis autem, dominatu scilicet concupiscentiæ, & demonis tyrannide, non aliam peccandi necessitatem patitur, quam impropriam & moralem, quæ activam indifferentiam non excludit.

*Obj. 2.* Ex Augustino, post Adami peccatum, ad bonum faciendum, & malum vitandum, sicut oportet, indigemus actualis gratiæ auxilio. Ergo ex Augustino, post Adami peccatum non habemus amplius libertatem indifferentiæ circa bonum & malum. *R. neg. conseq.* Ratio negandi est, quia necessitas auxilii divini non repugnat libertati indifferentiæ: non enim impedit, quominus, oblato nobis auxilio divino, possimus pro arbitrio agere vel non agere, bene vel malè agere. Neque libertas indifferentiæ est facultas agendi independentem ab omni auxilio superaddito; sed solum est facultas, qua, positis omnibus ad agendum prærequisitis, non sumus antecederet obligati intrinsecè ad alteram partem contradictionis, habemus libertatem indifferentiæ. Hinc primus homo in statu innocentie plenissimam maximeque expeditam habuit libertatem indifferentiæ circa bonum & malum, licet etiam tunc aliqua actuali gratia indigeret ad bonum faciendum; & malum vitandum, sicut oportet: quia hæc gratia ita erat illi necessaria, ut neutri contradictionis parti illum obligaret.

*Dices.* Ex S. Augustino, ad bonum faciendum & malum vitandum sicut oportet, indiget homo nunc

potentior gratia, quam indigebat in statu innocentie, non nisi quia indifferentiam activam amisit. Ergo, &c. *R. neg. min.* Itaque, ut docet S. Augustinus, homo in præsentī statu, ad faciendum bonum & vitandum malum sicut oportet, indiget potentior gratia, quam indigebat in statu innocentie: nam in statu innocentie illi, utpotè firmo & robusto propter donum integritatis, sufficiebat gratia illustrationis, & in præsentī statu indiget non solum illustratione, sed etiam inspiratione, seu adiutorio interno voluntatem ejus immediatè afficiente, sine quo adiutorio jam non potest amplius velle bonum, aut nolle malum, sicut oportet ad salutem, non quia per originale peccatum indifferentiam activam, seu facultatem se ipsum determinandi amisit; sed quia per illud tantam aegritudinem & infirmitatem contraxit propter concupiscentiæ rebellionem, ut nisi per illud immediatum voluntatis adiutorium sanetur & corroboretur, neque ad bonum agendum, neque ad malum fugiendum sicut oportet, se ipse determinare ulla ratione valeat. Igitur ex Augustino, homo in præsentī statu eget gratia potentior, gratia sanante & corroborante, quia aeger & infirmus est, utpotè concupiscentiali malo laborans: at, quod aliud est, non eget gratia necessitante, seu physicè prædeterminante, quia per potentiorē illam inspirationis gratiam sanatus & corroboratus, jam se ipse determinare potest sub illa gratia in ejus determinationem natura prius influente, ad volendum bonum, vel nolendum malum sicut oportet.

*Obj. 3.* S. Augustinus lib. 83. qq. q. 66. distinguit quatuor status seu actiones hominis, in quarum salutem duabus prioribus homo nullam habet libertatem ad bonum, & nullam potestatem resistendi carnalibus concupiscentiæ desideriis. Nam sic loquitur S. Doctor status illos seu actiones hominis exponens: *Prima est actio ante legem, secunda sub lege, tertia sub gratia, quarta in pace. Ante legem actio est, cum peccatum ignoramus, & sequimur carnales concupiscentias. Sub lege est actio, cum jam prohibemur a peccato, & tamen consuetudine ejus vici peccamus, quoniam nos nondum adjuvat fides. Tertia actio est, quando jam plenissime credimus liberatori nostro, nec meritis nostris aliquid tribuimus, sed ejus misericordiam diligendo, jam non vincimur delectatione consuetudinis male, cum ad peccatum nos ducere nititur: sed tamen adhuc eam interpellantem patimur, quomodo ei non tradamur. Quarta est actio, cum omnino nihil est in homine, quod resistat spiritui... Quod fiet mortali corpore vivificato, cum incorruptibile hoc induerit incorruptionem, &c.* Tum post multa sic concludit quæstionem: *In prima ergo actione, quæ est ante legem, nulla pugna est cum voluptatibus hujus sæculi. In secunda, quæ sub lege est, pugnamus, sed vincimur. In tertia pugnamus, & vincimus. In quarta non pugnamus, sed perfecta & æterna pace requiescimus.*

*R. ad obj. neg.* quod ea sit mens S. Doctoris circa status, quos hic distinguit. Itaque circa status illos præcisè docet, 1. Quod homo in primo & secundo statu nondum acceperit beneficium justificationis, in tertio verò sit justus & amicus Dei. 2. Et ita quod homo in primo & secundo statu nondum adjuvetur per fidem vivam, & charitatem formatam, in tertio verò adjuvetur. 3. Et ita quod homo in primo & secundo statu non accipiat majora illa & frequentiora auxilia, quæ solis justis & amicis Dei reservantur, & quibus retrahatur concupiscentia, eaque viribus superior efficitur voluntas; in tertio verò accipiat. 4. Et ita quod voluntas hominis in primo & secundo statu longè minores ad resistendum concupiscentiæ vires habeat, quam in tertio. 5. Et ita contingere, quod homo in primo & secundo statu obsequatur, saltem ut plurimum, concupiscentiæ motibus; in tertio verò non obsequatur. 6. Quod homo in primo statu sine pugna vincatur à concupiscentia, hoc est, quod ei cedat sine repugnantia, propter ignorantiam, qua laborat, seu quia boni & mali notitiam non habet nisi valde imperfectam & confusam; in secundo verò non vincatur sine pugna,

gna, hoc est, concupiscentia non cedat sine repugnancia, propter distinctam & perfectam boni & mali cognitionem, quam habet. 7. Quod in tertio statu per specialia auxilia, gratia sanctificanti, vel si vis, fidei vivae, quam habet, annexa, ita adjuvatur contra concupiscentiam, ut adhuc inordinatis ejus moribus obnoxius sit, & sic non eam vincat sine pugna; in quarto verò nullam carnis rebellionem passurus sit, proindeque pugnaturus non sit; sed æterna & perfecta pace fruiturus.

Quod autem homo in primo vel secundo statu concupiscentia cedat culpabiliter sine auxilio aliquo sufficienti & idoneo ad ei resistendum, ita ut cedat ei culpabiliter, licet non possit ei resistere, nec dicit S. Doctor, nec leviter innuit. Imò contrarium sensisse, dubium esse non potest; cum lib. de duab. anim. c. 11. aperte doceat, quod *quacunque causa est voluntatis malæ, si ei non potest resisti, sine peccato ei ceditur*. Quod nemo peccat in eo quod cavere non potest. Quod peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summe iniquitatis est & infamia. Quod nemo vituperatione vel damnatione dignus est, quod non potest non faciens. Quod ista adeo nota sunt, & apud omnes recepta, ut cantentur à pastoribus in montibus, in theatris à poetis, ab indoctis in circulis, à doctis in bibliothecis, à magistris in scholis, ab antistitibus in sacris locis, & in orbe terrarum à genere humano.

Dicitur Homo, juxta S. Augustinum, non sit liber ad bonum faciendum, & malum vitandum, nisi per liberantem gratiam. Atqui hanc gratiam non habet, nisi in tertio statu. Ergo juxta S. Augustinum, homo non est liber ad faciendum bonum, & vitandum malum, nisi in tertio statu, & consequenter in primo & secundo statu ad neutrum liber est, juxta S. Augustinum. Ad solutionem nota, S. Augustinus per gratiam liberantem, ut patet ex lib. 1. operis imperfecti, non intelligit auxilium quodlibet, etiam verè sufficiens & idoneum ad vincendam concupiscentiam; sed gratiam sanctificantem, quæ facit nos justos & amicos Dei, nobisque confert jus ad auxilia quadam frequentiora & potentiora, quibus restrainatur concupiscentia, eamque vincere facile possumus. Unde hæc gratia vocatur liberans, quia nimirum liberat nos à dominatu concupiscentiæ & peccati. His autem præsuppositis,

R. dist. maj. Juxta S. Augustinum, homo non nisi per gratiam liberantem sit liber ad bonum faciendum, & malum vitandum, libertate quadam majore & potentiore, quacumque facile vincit concupiscentiam. C. maj. Libertate sufficienti & idonea ad vincendam concupiscentiam. N. maj. Nam sine gratia liberante, qualem scilicet intelligit S. Augustinus, homo habere potest, & habet libertatem per alia minora auxilia, quacumque concupiscentiam vincere potest, & vinceret, si vellet, quanquam cum taliliberate concupiscentiam vincere non potest, nisi ægrè, vel etiam ægerrimè, quia talis libertas infirma & debilis est. Unde cum ea homo facile potest vinci, & saltem ut plurimum, vincitur à concupiscentia, quamobrem dicitur esse sub dominatu concupiscentiæ. Concessa autem minore, dist. conf. Ergo ex S. Augustino, homo non nisi in tertio statu liber est ad faciendum bonum, & vitandum malum, libertate quadam majore & potentiore, quacumque concupiscentiam facile vincit, C. conf. Libertate sufficienti & idonea, quacumque vincere potest concupiscentiam, quamvis non nisi ægrè, vel etiam ægerrimè possit propter debilitatem & infirmitatem hujus voluntatis, N. conf.

Ex his autem sequitur tantum, quod homo, juxta mentem S. Doctoris, in primo & secundo statu ad bonum faciendum & malum vitandum sit liber ea tantum libertate, quæ infirma & debilis est propter minora & infrequentiora auxilia, minusque favorem providentiam, sub qua magis favere permittuntur demon & concupiscentia, à quibus proinde homo facile vincitur in utroque illo statu, unde & homini in utroque illo statu dominari dicuntur. At secundum

principia S. Doctoris, libertas illa, quamvis infirma & debilis, verè sufficiens est ad vincendum demonem & concupiscentiam, quoriscumque homini omisso boni vel commissio mali imputatur ad culpam & penam; & tunc homo accipit gratiam verè sufficientem & idoneam, quæ ideo dici potest aliquo modo liberans, quia liberat à simplici necessitate ad malum.

Obj. 4. S. Augustinus hanc peccati definitionem: Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere, quam lib. de duabus animabus tradiderat, restringit ad solum peccatum Adami, lib. 1. operis imperfecti n. 47. non nisi quia postea agnovit, ad peccata, quæ in presenti statu ab hominibus committuntur, & quæ ita peccata sunt, ut simul sint pœna peccati, necessariam non esse libertatem indifferentiæ, atque necessariò committi. Ergo, &c. R. neg. min. Cujus falsitas patet ex ipso loco citato, ubi sic loquitur S. Doctor: *Multa sunt, quæ agunt homines, mala, à quibus eis liberum est abstinere; sed nulli tam liberum est, quam illi fuit, qui Deo suo, à quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio depravatus adstabat*. Quibus verbis manifestè docet S. Augustinus, homines in presenti statu multa mala perpetrare libere libertate indifferentiæ, quamvis hæc libertas non sit in illis tam expedita, quam fuit in Adamo ante peccatum; quia nimirum affligantur inordinatis concupiscentiæ moribus, quibus carpit Adamus, quando in statu innocentie perseveravit.

Itaque S. Doctor, ut patet ex eodem loco operis imperfecti, restringit definitionem suam ad peccatum Adami, quod tantummodò peccatum fuit, non etiam pœna peccati, quia in presenti statu liberum nobis non est aliquibus carere, quæ ita peccata sunt, ut sint pœna peccati illius, quod absque omni omnino necessitate admisit Adamus, & à quo proinde Adamo liberrimum fuit abstinere. Ejusmodi autem peccatorum, quæ simul peccata sunt & pœna peccati, exemplum habemus, juxta S. Doctorem, 1. in moribus inordinatis concupiscentiæ, quibus carere non possumus, quantumcumque velimus illis carere, quique peccata dicuntur, quamvis improprie, quia sunt effectus peccati, & ad peccatum inducunt, & adversantur rationi, & accedente voluntatis consensu, imputantur à Deo ad culpam & penam. 2. In iis, quæ malè sunt per ignorantiam culpabilem, seu in iis quæ malè sunt, quia propter culpabilem ignorantiam non putantur esse mala, aut etiam putantur esse bona; talia enim & peccata sunt etiam proprie, quia culpabilis ignorantia non excusat à culpa; & sunt pœna peccati, quia sunt effectus ignorantie, quæ culpæ originalis effectus est; & sunt necessaria necessitate consequenti, etiam physica, quia agens non potest non peccare, ex hypothesi quod liberè facit aliquid, quod malum est, non nisi culpabiliter existimans illud malum non esse, aut etiam bonum esse; vel forsè aptius ad mentem S. Doctoris, quia impossibile est, agentem vitare aliquid tanquam malum, quod revera malum est, ex hypothesi quod faciat illud, non putans illud esse malum, aut etiam putans esse bonum, & tamen peccat proprie, quia hæc impossibilitas oritur ex ignorantia indirectè volita, & in qua proinde sufficienter voluntaria est, ut non excuset à peccato formali. 3. In peccato originali, quo infantes, ab Adamo naturaliter descendentes, necessariò nascuntur infecti: non enim illis liberum est eo carere; & tamen est verè & proprie peccatum, quia verè & proprie reddit odibiles Deo omnes, quos inficit; sed ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati, juxta mentem S. Doctoris, peccatum illud constituentis in concupiscentia velut materiali, & ipsomet actu Adami moraliter perseverante velut formali. Unde, cum concupiscentia sit pœna peccati, sequitur originale peccatum esse penam peccati secundum materiale suum.

Audiamus S. Doctorem n. 47. *Si tria ista discernas, inquit, & scias aliud esse peccatum, aliud penam* pec-

peccati, aliud utrumque, id est, ita peccatum, ut ipsum sit etiam poena peccati; intelligis quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas est agendi, Quod iustitia vetat, & unde liberum est abstinere. Peccatum namque isto modo definitum est, non peccati poena, non utrumque. Habent autem tria ista genera etiam species suas... Tertium genus, ubi peccatum ipsum est & poena peccati, potest intelligi in eo qui dicit, Quod nolo malum hoc ago. Ad hoc pertinent etiam omnia, quae per ignorantiam cum aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona... Pertinet originale peccatum ad hoc genus tertium, ubi sic peccatum est, ut ipsum sit & poena peccati.

Hæc autem à S. Doctore dicuntur, non ut homini lapso subtrahat libertatem indifferentiae circa bonum & malum; cum hanc illi libertatem expressè etiam hoc loco attribuat verbis superius laudatis; sed ad impugnandos errores Pelagianorum, negantium, 1. involuntarios concupiscentiae motus ullo sensu peccata dici posse. 2. Aliam ignorantiam, præter affectatam, culpabilem esse, adeoque ulla dari peccata ignorantiae. 3. Infantes ullam ab Adamo maculam contrahere, quæ reddantur Deo exosi, eosque aliter nasci, quam conditus fuerit primus homo.

Dices. Atqui S. Augustinus definitionem illam, quam lib. de duabus anim. c. 11. tradiderat, restrinxit hoc lib. 1. operis imperfecti, quia putavit, nullam in præsentis statui homini superesse libertatem indifferentiae circa bonum & malum. Ergo, &c. Neg. aut. Probabis. Nam S. Doctor inferius post multas paginas loquens de eadem definitione, sic ait n. 104. & 105. *Ista definitio peccati ejus est, quod peccatum tantummodo est, non quod etiam poena peccati, quæ perit libertas non peccandi: à quo malo non liberat nisi ille, cui non tantum dicimus, Dimitte nobis debita nostra; verum etiam, Et ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Multum erras (Juliane, ) qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse poenam, quod nulla necessitate commissum est.*

R. Ex his verbis nihil sequi pro Novatoribus. Itaque juxta S. Doctorem, per peccatum Adæ perit libertas non peccandi, non simpliciter, sed qualis fuit in paradiso; quia per peccatum Adæ, quod hic S. Doctor vocat ineffabiliter grande peccatum, duplex quo Adamus in paradiso catuit, malum, ignorantiae scilicet & infirmitatis, incurrimus. Unde orta in nobis est, 1. necessitas propria & physica peccandi improprie, per repentinos & non voluntarios concupiscentiae motus. 2. Necessitas consequens peccandi improprie, per ignorantiam culpabilem, utpotè saltem indirectè volitam. 3. Necessitas impropria & moralis peccandi improprie propter inestinatam carnis rebellionem, donec à concupiscentiae dominatu liberemur per beneficium justificationis, & auxilia ei annexa. Hæc autem moralis necessitas non est nisi magna difficultas resistendi rebellanti concupiscentiae, & tanta, ut ei in omnibus & ferè omnibus turpiter cedamus, quamvis liberè, & absque antecedenti ad unum determinatione intrinseca, donec per majora illa & frequentiora auxilia robaremur, quæ iustis & amicis Dei reservata sunt, & quibuscum facile vincitur refrænata concupiscentia. Ab hac autem triplici necessitate immunis fuit primus homo in statu innocentiae, in quo & caro perfectè subiecta erat spiritui, & ultro sese illi ingerebat id quod appetendum vel vitandum erat in agenda vita. Unde & nullum habere poterat peccatum improprie dictum, & omni omnino peccato improprie dicto summa quadam facilitate carere poterat. En libertas non peccandi, quam juxta S. Doctorem, per Adami peccatum amisimus, & quam non recuperamus, quantum ad immunitatem à morali necessitate peccandi improprie, nisi per gratiam illam, qua concupiscentiae superiores efficiuntur, & ab ejus dominatu liberamur, quamque perimus ab eo, cui non tantum dicimus, *Dimitte nobis debita nostra; verum etiam, Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.*

Simonnet Thel. Tom. 6.

Dices denique. Quid ergo sibi volunt hæc S. Doctoris verba lib. contra Fortunatum disp. 2. *Liberum voluntatis arbitrium in illo homine fuisse dico, qui primus formatus est. Ille sic factus est, ut nihil omnino voluntati ejus resisteret, si vellet Dei præcepta servare. Postquam autem libera ipse voluntate peccavit, nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus.* R. S. Doctorem nomine liberi arbitrii hic intelligere, non præcisè libertatem agendi vel non agendi, sed libertatem sanam & robustam agendi vel non agendi, quacum primus homo in statu innocentiae magna cum facilitate poterat, si vellet, servare mandata divina. Hanc autem libertatem rectè dicit nos amisisse, & in oppositam illi necessitatem præcipitatos esse per peccatum primi hominis. Quæ necessitas non potest esse, nisi necessitas impropria & moralis peccandi, & mandata divina transgrediendi. Necessitas enim opposita facilitati, non est nisi impropria & moralis necessitas, seu magna quardam difficultas faciendi vel omittendi aliquid. Confirmatur ex eo quod Sanctus Doctor hic necessitatem, in quam ait nos incidisse propter peccatum Adami, comparat cum necessitate, quam affert inveterata consuetudo peccandi, putà jurandi. Hæc autem necessitas non est nisi moralis & impropria: potest enim cum divina gratiae auxilio vinci.

## DISPUTATIO V.

## De motione Divina.

## ARTICULUS I.

*Utrum Deus physicè prædeterminet voluntatem ad actus illos, qui liberi dicuntur, & possunt esse meritorii vel demeritorii.*

**N**Ota. Physica prædeterminatio, ut eam describit Prædeterminantium recentissimus, est aliquid physicum, à Deo & creatura realiter distinctum, à Deo in creatura independentem ab ipsa realiter impressum, quo creatura physicè prædeterminatur ad agendum, hoc est, ita ad actionem applicatur, ut contradictionem implicet, motionem illam existere, & creaturam non agere. Non est autem proprie qualitas, quia non habet esse fixum & permanentem, sed tantum aliquid reducibile ad qualitatem, quatenus per eam responderi potest, qualis sit res, non quidem permanentem, sed fluenter & transienter; est enim quoddam ens diminutum, incompletum, fluens & in motu, virtuosum tamen & activum, sicque virtuosum & activum, ut, eo posito, non possit non esse actio creaturæ, imò simpliciter repugnet non esse creaturæ actionem; quia videlicet ex se & essentialiter cum actione creaturæ connexum est. His præsuppositis, respondeo voluntatem non prædeterminari physicè à Deo, quantum ad actus illos, qui liberi dicuntur, & sunt meritorii vel demeritorii. Quæ responsio probabitur sequentibus paragraphis. Sit itaque

## §. I.

*Probatur responsio nostra ex inutilitate physica prædeterminationis.*

Si necesse est voluntatem physicè prædeterminari ad actus liberos, vel quia non potest aliter salvari ratio causæ primæ in Deo, & causæ secundæ in voluntate; vel quia hoc exigit perfectum Dei dominium in voluntatem; vel quia voluntas propter indifferentiam non potest exire in actum, nisi ab alio agente extrinseco physicè prædeterminetur ad agendum. Atqui nihil horum dici potest. Ergo, &c.

Non primum. Nam ad salvandam in Deo rationem

Aa 3 cau.